

¶ Deferens epicyclum mouetur super centro mundi secundū successione[m] signorum per unum diem gradibus 13, minutis 11. ¶ Lunæ motus in epicyclo per unum diem est graduum 13, minutorum 4, & dicitur motus mediij argumenti Lunæ.

THEORIA CONIUNCTIONVM

& oppositionum luminarium.

¶ Compositio instrumenti σ & ρ .

EX centro E describatur ad datam EA quantitatem circumferentia, quæ duabus diametris AC & BD quadretur, & in 360 partes æquales diuidatur, sub hac demū tres designentur, cū quibus agetur, sicut in epicyclo Lunæ factum est, distinguendo eos per duodecim signa, gradusq; per quinarium aut denarium diuidendo, hic loco epicycli Lunæ inscriuet orbis, Cuius aux sit A , oppositum autem augis C , & longitudines mediæ BD , ac series numerorū tam graduum quàm signorum ab A per B uersus C procedat. Deinde ab auge uersus B in exteriori circumferentia numera 28 gradus, & 14 minuta, finisq; horum sit F punctum. Rursus in eandem partem ab auge computabuntur 5 signa, 6 gradus, & 6 minuta, quorum terminus sit punctus G , applicata igitur hisce duobus punctis regula, ea semidiametrum EB in H puncto intersecabit. Aut in eandem partem ab auge numeratis signo uno, gradibus 18, erit terminus numerationis X , posita igitur regula super C & X puncta, ea semidiametrum EB in eodem H puncto dissecabit. Quare super E centro secundum EH rectæ quantitatem, describatur IKL , circulus argumenti Solis, qui in 360 partes diuidatur, per signa & gradus, omnino sicut iam de epicyclo Lunæ dictū est, cuius I aux sit sub auge superioris, eiusq; K oppositum sub opposito augis epicycli Lunæ. Quod si ab A in B unum signum, & 12 gradus computati fuerint in terminum usq; horum X , apponaturq; regula super hoc punctum & D , lineam EA diuidet in I puncto. Postea ducatur linea OAQ , quæ contingat epicyclum Lunæ in A puncto, & lineæ BED æquidistet. Recta similiter PCR contingens epicyclum in C puncto parallela priori describatur. Iam ab auge epicycli uersus B numerentur partes 29, minuta 45, & ab eadem 5 signa, 4 gradus, & 48 minuta, appositaq; ad ea puncta regula, ad puncta sectionum eius cum OAQ signetur M punctum, ad sectionem uero eius cum PCR , nota N . Hoc ita peracto negotio, AM recta diuidatur in partes 5 æquales, & earundem partium lineæ AM , adde sex, ita ut AMO earum partium sit 11, quarum AM est quinq;, totidem quoq; habeat reliqua AQ , & continebit harum tota uiginti duas partes. Simili quoq; modo diuide lineam PCR , ita ut tota habeat uiginti duas partes, quarum NC est quinq;.

d iij Postea